



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

139. Quomodo computetur dictum tempus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

2. Resp. secundò: tempus, si vè à jure, si vè à fundatore datum ad præsentandum computatur seu incipit currere, non ab hora, quâ beneficium vacat, sed ab hora, quâ patronus cœpit habere notitiam istius vacationis. Corrad. l. 4. c. 2. n. 73. dicens, etsi olim contrarium senserit Rota, aut etiam antiqua jura, nempe c. 2. de suppl. c. 2. de concess. præb. id hodie non tenere. Lott. l. 2. q. 6. n. 23. Garc. loc. cit. n. 34. Castrop. loc. cit. n. 3. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 11. Barb. de post. Ep. p. 5. alleg. 72. n. 134. Tiraq. de retract. tit. 2. §. 35. num. 7. &c. contra Lamb. p. 2. l. 2. q. 1. a. 8. Flores de Mena. q. 3. n. 20. & alios apud Garc. Hujus enim temporis determinatio est in odium negligentia patronorum; negligentiam autem habere non possunt, nisi vacationem sciunt. Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 16. quamvis ibi agat de collatione, eadem tamen est ratio. Sic etiam tempus dictum currit patrono à die scientiæ commissi criminis, ob quod quis ipso jure seu facto privatur beneficio; ignorantiam tamen justè non currit. Corrad. loc. cit. citans Lamb. l. 2. p. 2. q. 1. Proceditque id ipsum, etiam si fundator mandasset præsentationem faciendam esse infra 4. menses à die mortis vel vacationis; quia debet intelligi & suppleri à die notitiæ; cum voluntas fundatoris semper intelligatur secundum juris communis dispositionem, dum aliud nō est expressum. Corrad. l. 4. c. 2. n. 74. Idem est, ut *ibidem* Corrad. etiam si in Bulla collationis factæ à Papa per devolutionem ob non servatum tempus datum ad præsentandum dicatur: à die vacationis. Garc. loc. cit. n. 24. citans Roch. v. honorificum. q. 27. & Abb. in c. nos quidem, de testam. Quin etiam procedit, etiam si fundator præfixisset tempus quantumcunque breve, v. g. unum mensem, nam ubicunque à lege præfigitur terminus certus, necesse est, ut præcedat notitia, cum, ut dictum, sine illa dari nequeat negligentia. Corrad. loc. cit. citans plures Rota decisiones.

3. Quare jam obijciens patronum non præsentasse in tempore (idem est de impetrante, dum nimirum impetratur beneficium juris patronatus laicorum per devolutionem ad sedem apostolicam ob non factam præsentationem intra tempus statutum, Corrad. cit. n. 74. Ubi etiam, quòd propterea malè agant Executores literarum apostolicarum super provisionibus beneficiorum per devolutionem impetratorum; dum vix literis ipsis sibi præsentatis, procedunt ad collationem, non examinato an præsentator vel collator omittens præsentare habuerit veram scientiam vacationis, nec ne; cum hæc scientia determinari debeat per judicem, si vè delegatum, si vè ordinarium) debet probare, patronum habuisse scientiam vacationis; quia quamdiu hæc scientia non probatur, præsumitur ignorantia; cum credendum non sit, patronum scientem beneficii vacationem jus suum omittere, Corrad. loc. cit. num. 75. Castrop. cit. n. 3. citans Barb. ubi ante n. 136. Garc. loc. cit. n. 34. & 37. citans de super claram rota decisionem in una Firmiana altaris. 5. Decemb. 1594. Quin & scientiæ hujus tempus probandum est plenè; cum sit de substantia, ut Gabriel. Spino &c. paulò post citandi.

4. Scientiam verò hanc seu notitiam debere esse & probari veram, indubitatam & certam, & non sufficere præsumptam & verisimilem, eò quòd, dum agitur de puniendo negligentiam alicujus, non sufficit scientia præsumpta, etiam ex eo, quòd publicum est, tenent Corrad. loc. cit. n. 74. (et *ibidem* dicat, quòd cum paria sint scire, & debere scire, ideo receptum esse currere tempus collatori à tempore, quo scire debuit) Lott. loc. cit. n. 24. citans Pureum

l. 1. in corrèct. decis. 142. n. 2. Lap. alleg. 78. n. 12. Mohed. de prob. decis. 4. Et dicens etsi olim aliter visum Rotæ decis. 1. de jure patr. in antiq. eam tamen decisionem hodie non servari. His accedunt Tiraq. de retractu. §. 35. gl. 4. n. 7. dicens, requiri veram & certam scientiam, & non sufficere interpretativam. Card. de Luca de jure patr. d. 64. n. 5. dicens non sufficere nec præsumptam, nec interpretativam, nisi facti circumstantia probent, quòd allegata ignorantia esset inverisimilis, seu ut alii vocant, crassa & supina (super quo, utpote consistente in facto, determinata regula dari non possit; cum pendeat à circumstantiis, inter quas ponderanda, an patroni essent in loco, nec ne, in eadem vel diversa dicechi, &c.) adeò, que ut addit n. 7. invaluisse hæc opinionem, ut probabilis ignorantia impediatur lapsus termini. Paul. de Ciudad. p. 6. a. 3. n. 42. Berojus in c. quoniam, h. t. n. 52. Delphin. de jure patr. l. 2. n. 178. Grinon. &c. apud Garc. loc. cit. n. 34. dicens; requiri scientiam veram, non interpretativam. Item Hieronymus Gabriel. l. 2. cons. 185. Spino de testam. gl. 4. n. 2. 1. apud Garc. quatenus dicunt, quòd, quamvis Ordinarius, qui visitare debet & perquirere, imputetur negligentia, si nesciat beneficium vacasse, cum de facto vacat; patronus tamen non debeat censeri negligens, si nesciat vacationem, tamen notam in loco vel Ecclesia beneficii ejus jurisdictioni non subjectis. Econtra sufficere scientiam veram vel præsumptam, tenent Selva. p. 3. q. 9. Garc. loc. cit. n. 38. ubi: quòd aliud sit scientia præsumpta, aliud interpretativa: neque excludi scientiam præsumptam ab AA. negantibus sufficere interpretativam. His accedunt Zerol. in pr. Ep. p. 1. v. jus patr. §. 8. du. 2. &c. dicens sufficere tempus verisimilis notitiæ, uti & Castrop. loc. cit. restatur plures doctores censere patrono currere tempus à die, quo verisimile, scientiam habuisse; cum raro possit esse probatio certæ scientiæ: hæc autem scientiam præsumptam conjecturis attentè distinctià loci, in quo situm beneficium, qualitate ipsius beneficii, longitudine temporis ac vacationis famâ, aliisque probandam, & à judice determinandam esse, ajunt Garc. loc. cit. n. 34. Castrop. cit. n. 3.

5. Porrò quamvis Officiales Regum sciunt vacationem, negligentiam tamen illorum non nocere Regi; quin & regi ipsi scienti vacationem non currere tempus quatuor mensium ex legitima prescriptione ex Cabedo supra docent Garc. loc. cit. n. 34. Corrad. l. 4. c. 2. n. 64. De pupillis autem vel amentibus aliisque imperfecti judicii habentibus tutorem vel curatorem, seu alium legitimum administratorem, scientiam certam tutoris, curatoris, &c. præjudicare, & lapsum termini inducere, tradit Card. de Luca loc. cit. n. 9. & eò quidem fortius, dum pupilli hæc ratione damnari non patiuntur, dum Ordinarius salvo pro aliis vacationibus jure præsentandi pupilli, providendo ex jure devoluto suppleat vices administratoris, nisi forte id redundaret in ejusdem pupilli alteriùs vob administratoris viventis supplantationem & buriale præjudicium.

6. Ac denique, dum plures sunt patroni, unusque ex illis ignoravit vacationem (aut ei probari non potest scientia vacationis) & hinc præsentare omiserint, reliqui verò scientes vacationem præsentare omiserint, unus ille ad præsentandum admittitur, etiam post elapsum tempus præfixum aliis, aliis exclusis à præsentando. Castrop. loc. cit. citans Barb. ubi supra n. 137. Garc. loc. cit. n. 41. recitans de super claram Rota decisionem. Corrad. cit. n. 74. Dum tamen inter hos patronos sunt pupilli, eorum igno-

rantiâ, quæ resultat à pupillari ætate, non impediri in isto casu devolutionem collationis ad Ordinarium, eod quod alias Ecclesiæ & beneficia perpetuam vacationem pari cogentur, ait Card. de Luca *loc. cit.* n. 8.

Quæstio 140. Qualiter dictum tempus, quod alias per se loquendo currit continuum, seu est continuum & non utile, non currat patrono impedito?

Respondeo primò in genere; quotiescunque occurrit impedimentum legitimum, five juris, five facti (five sub initiu vacationis beneficii, five ex intervallo) impediens, quo minus patronus præsentare possit, non currit illi tempus; non enim quis sine culpa omittens quid, puniri debet. *Garc. p. 10. c. 2. n. 17. citans Abb. in c. quia diversitatem. de concess. præb. n. 3. Guttier. con. q. l. c. 28. Roch. v. honorificum. q. 28. n. 58. Boërium, Selvam, &c. Castrop. loc. cit. n. 5. citans in super Paris. de resign. l. 1. q. 13. n. 11. Menoch. &c. Barb. de pot. Ep. p. 3. alleg. 72. n. 138. Item juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 170. citans Rebuff. de pacif. poss. n. 304. Flores de Mena. var. q. 3. n. 4. &c. Ubi varia enumerat impedimenta; nimirum legitimam patroni absentiam (quam etiam præsumi in dubio, ait Flores de Mena apud Barb. *loc. cit.*) v. g. reip. causâ, vel ut *Garc. n. 18. pro absolutione obtinenda, injustam incarcerationem, perhorrescentiam alicujus inimici, propter quem non haberet tutum accessum, vel etiam, ut Card. Luca *loc. cit.* num. 11. citans Lott. Barb. *Garc. &c. errorem, dum nimirum erroneè facta est præsentatio coram alio, quam coram quo fieri debebat. Sic & inter legitima impedimenta numerari, dum facta præsentatione in tempore de persona idonea, præsentatus acceptare noluit, seu alias citra culpam præsentantis præsentatio effectum sortiri non potuit, ait Card. Luca *loc. cit.* n. 15. citans Vivian. l. 5. c. 2. n. 27. Barb. *cit. alleg.* 72. n. 163.***

2. Respondeo secundò in specie: motâ & pendente lite, dum lis est inter patronos, quolibet prærendente sibi competere præsentationem, currit illis tempus ita, ut si intra tempus à jure datum ad præsentandum, lis non fuerit finita, & ob hanc causam omiserint præsentare, Ordinarius pro libitu suo conferre possit beneficium. *Garc. p. 10. c. 2. n. 19. iniquens durante lite super jure conferendi, seu eligendi non currit tempus, licet secus sit in patronis. Lott. l. 2. q. 6. nu. 26. (qui etiam ait, in hoc casu discordiæ super juris patronatûs pertinentia, etiam si facta fuisset præsentatio intra terminum juris, hanc elidi, & ad Episcopum devolvi collationem, si intra dictum terminum lis non finiatur. Ubi etiam eam elidi, ait, si Episcopus ex duobus præsentatis alterum præeligere non posset sine scandalo (intelligendo non scandalum simplicem ex lite, vel scandalum juris; sed scandalum facti, & quidem actionis, & cui iudex ipse occurrere nequeat.) Castrop. *loc. cit.* num. 6. & apud illum Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 12. juxta c. quoniam. & c. cum te. h. t. Procreditque hoc ipsum tantum, dum nullus contententium patronorum est in possessione præsentandi, aut super possessione lis moveretur. Secus enim est, dum lis est super proprietate, & constat unum illorum esse in possessione; hic enim validè præsentare potest, juxta dicta superius. Castrop. *loc. cit.* citans Abb. Roch. Gregor. Lopez. &c.*

3. Principalem nihilominus responsionem sic limitare videtur Card. Luca *loc. cit.* num. 12. Quod

licet textus *cit. c. quoniam.* in casu litis inter patronos non terminata intra terminum datum ad præsentandum, deferat collationem Ordinario pro illa vice, non tamen id concedat, nisi urget ratio scandali, ne alias Ordinarii affectarent excitari lites, & lites excitaras non terminarent, citâque pro hoc Lap. & ait, litem inter patronos tunc precipuè facere, ut illis non currat tempus; dum colligantes patroni protestarentur; quòd interim pendente lite non debeat iis currere tempus. Dum verò lis est inter patronos & Ordinarium super ipso jure patronatûs, Ordinario contendente Ecclesiam liberam, patronis sustinentibus esse subjectam, non currit patronis tempus; ne alias absque sententia Ordinarius vinceret, & patroni succumberent. Unde in isto casu Episcopus Oeconomum seu Vicarium constituere debet, quousque lis finiatur. *Castrop. loc. cit. num. 7. citans Ricc. in pr. for. Eccl. resol. 170. num. 2. Barb. *cit. alleg.* 72. num. 140. Idem est; nimirum non currit patronis tempus; dum lis est inter ipsos præsentatos, quolibet prærendente se præferendum; debet enim tunc Ordinarius cujusque jura examinare, & pronuntiatâ sententiâ in favorem illius, qui potius jus haberet, facere institutionem, & non antè, ne alias injustus sit, privando præsentatum jure quæsito. *Castrop. loc. cit.* citans Barb. *ubi ante;* quamvis nec tunc patroni durante lite alium tertium præsentare sine vitio attentati possint, ut Barb. *juris Eccl.* l. 3. c. 12. n. 173. citans Lancelot. *de attentatis. c. 4. in præf. num. 608. Covar. præf. q. c. 36. num. 7. &c. Uti nec alium in locum unius præsentati mortui sufficere, Barb. *ibidem* citans Calderin. Cassador. &c. Item dum inter patronos est discordia, non super jure præsentandi, sed super habilitate præsentati; debet enim prius hæc lis definiri; cum dubium sit de jure quæsito præsentati, & textus supra citati loquentes de contentione patronorum super jure præsentandi, non debent trahi ad jus quæsitum præsentati. *Castrop. & Barb. *ll. cit.****

Quæstio 141. An, & qualiter currat patronis dictum tempus, dum intra illud nominatus ab illis intra idem tempus non consentit vel renunciat facta de se præsentationi, aut diem suum obit, aut occultum ejus vitium detegitur, ob quod facta præsentatio irritatur?

Respondeo: incipere iterum de novo illis currere illud integrum à die dissensûs, renunciationis, mortis, irritationis illis notæ, ac si vacatio nova accidisset; hoc est, patronus laicus iterum habet quadrimestre totum, Ecclesiasticus semestre; dummodo nihil fraudulenter egerint. *Corrad. pr. benef. l. 4. c. 3. num. 19. citans Vivian. l. 7. c. 4. num. 30. Lamb. l. 2. p. 2. q. 1. n. 17. juxta c. si electio. de elect. in 6. nam et si hic textus expressè loquatur de electione, extendi tamen etiam eundem ad præsentationem, ait Corradus.*

Quæstio 142. A quo die incipiat currere patrono tempus, dum præsentatio faciendâ ad beneficium à primæva erectione vacans, hoc est, cui primâ vice seu primus à fundatione dandus Rector?

Respondeo: faciendam esse post, & non ante decretum erectionis beneficii, incipitque currere